

retur habitus, ideoque esse scientiam: item, esse speculativam & practicam simul; speculativam quidem, quatenus perfectè contemplatur naturam sui objecti; practicam verò, quatenus ipsius conditio est circa opus versari, quod bene vel malè dirigi, aut ordinari potest, ejus autem virtute bene fit, aut bene ordinatur: hoc, inquam, nihil roboris habet. Nam scientiæ formalis ratio in hoc consistit, ut demonstrationes habeat de rebus necessariis. Jam verò res Logicæ sunt contingentes. Deinde speculatio tum demum **Pura Speculatio** sincerè dicitur speculatio, quando res ipsa speculationi **quæ sit?** subjecta, non est operabilis ex suâ naturâ: quando verò essentialiter, & ex suâ naturâ redigitur ad operationem, vel effectiorem, qualis speculatio est in Ethicâ, Medicinâ, & hâc nostrâ Logicâ, licet ab aliquo speculationis gratiâ tantùm intendatur, tamen non est propriè & per se speculatio, sed secundùm quid, scilicet propter intentionem ejus, qui contemplationem tantùm spectat. *Thomas comm. in Boëth. de Trinit. quest. 5. ar. 1. Arniseus in notis ad Logicam Crell. pag. 26.27.* Docet hoc expressè philosophus *7. politic. cap. 3.* dum meditationem architecti, etiam manum non admoventis, vocandam censet actionem, eò quòd ad opus perficiendum per se redigatur. Hîc etiam obiter nota, quòd Logica dicatur practica à multis non infimæ classis philosophis, latè accepto vocabulo *praxeos*, de quâ *Franc. Maro. 1. d. 48. q. 2.* ait, quòd praxis in genere, ut communis est praxi propriè acceptæ & effectiioni, sit operatio regulata à ratione, h. e. operatio, cui regulam præscribat intellectus ad operandum. Paucis, quæ hæctenus disputata sunt, sic comprehendo. Per appetitū innatum elicimus ex potētīâ intelligendi quandam speculationē, quæ si non dirigitur ad aliud, sed in speculatione acquiescit, pura denominatur speculatio, quæ venit nomine intelligentiæ, scientiæ & sapientiæ, qui sunt tres habitus intellectuales theorici: atq; hæc speculatio est actus elicitus. Si verò speculatio dirigitur ad aliud, nō ampliùs speculatio vocatur, sed generaliter praxis. Non terminatur autem ista praxis in ipso intellectu, sed extendit se ad subordinatam facultatem, illique imperat exequi id, quod apud intellectū conclusum est. Hæc praxis in communi considerata dividitur in praxin propriè dictam, & poësin. Illa est